



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

747. An, & qualiter simoniacum sit resignare vel conferre beneficium exigendo à Resignatario vel Collatario juramentum fidelitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

beraliter data; quia nemo præsumitur suum prodigere: Si autem nimis parva, seu modici pretii, pro nihilo reputatur, quia verisimile non est, dari pro re tam præstante, ut est res spiritualis: Si est mediocri, consideranda hæc quantitas in ordine ad personam dantis & accipientis, & si data est pecunia numerata, etiam modica quantitas sufficit ad præsumendam simoniam, si non adit causa honestans: Si autem res data sit pertinens ad cibum & potum, & in modica quantitate, pro nihilo reputatur, Pirh. loc. cit. juxta c. *exi* questiones. de simon. Tertiò circumstantia temporis seu occasio donationis; urgente enim necessitate, quia hæc & nunc quis indiget re illa temporali, dans censetur potius dare liberaliter ad subveniendum necessitati, Pirh. loc. cit. ex Abb. in cit. *exi* questiones. n. 3. Sic considerandum, an munus temporale detur ante receptam rem spiritualem; tunc enim non ita facile præsumitur datum ex liberalitate, sed potius ad permovendum animum datur spirituale: An in ipsa receptione spiritualis, vel in continentia post eam; quia & tunc habet magis speciem recompensationis, quam gratuita donationis: Secus, si post receptionem ex intervallo detur: tunc enim facilis præsumitur ex mera liberalitate & gratitudine dari: Concludit verò Pirh. citans pro hoc Suar. ubi ante, nu. 14. præsumptionem desumptam ex circumstantia temporis per se sufficientem non esse ad inducendam simoniam, nisi Ecclesia prohibito interveniat; cum in quolibet tempore possit habere locum pura intentio & gratuita donatio.

**Questio 747.** An, & qualiter simoniacum sit resignare, vel conferre beneficium exigendo à Resignatario, vel Collatario juramentum fidelitatis?

**1.** Respondeo primò: Exigere, uti & præstare hominum seu homagium (quod in eo differt à juramento fidelitatis, quòd homagium præstatur Imperatori vel Regi, ita ut fiat per hoc subditus illius, & non recognoscat alium Superiorem, & obligetur ad certa servitia. Fidelitatis verò juramentum sit, quando quis specialiter promittit ac jurat, se alteri fore fidelem, quòd juramentum potest pluribus præstari. Pirh. ad tit. de simon. n. 83. ex Abb. ad c. *ex diligenti*, eod. tit. n. 1.) pro beneficio obtinendo est simoniacum juxta textum expressum *cit. c. ex diligenti*, Pirh. loc. cit. homagium enim propriè acceptum continet temporale commodum ejus, cui præstatur; nam, ut dictum, præstans illud efficitur illius subditus & vasallus, & obligatur illi ad certa servitia, quæ pro spiritualibus obtinendis præstari non debent juxta quod dicitur *c. fin. de reb. jud. indignum est, & à Romana Ecclesia consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur* &c. Eitque talis subiectio munus ab obsequio, quod simoniam inducit. Pirh. loc. cit.

**2.** Respondeo secundò: Juramentum quoque fidelitatis resignanti, vel collatori inferiori Episcopo præstare pro beneficio consequendo, simoniacum est, argumento *cit. c. ex diligenti*, juramentum enim fidelitatis præstandum est Episcopo, vel alteri habenti quasi Episcopalem jurisdictionem, non autem Prælati inferioribus, v. g. Archidiacono (de quo est expressè citatus textus) etiam si ad eos

spectet collatio certi beneficii ex speciali concessione, vel præscriptione, Pirh. loc. cit.

**3.** Respondeo tertio: Non tamen erit simoniacum, recipientem beneficium præstare juramentum fidelitatis, etiam Prælati inferiori, vel Capitulo, dum hoc, vel ille beneficium confert; cum id præstetur non tam pro consequendo, vel etiam obtento beneficio, sed occasione beneficii juxta statuta disponentia, ut, qui consequitur beneficium tale, promittat fidelitatem, non obstante *cit. tex. c. ex diligenti*; utpote in quo Archidiaconus illo exegit omnimodam subjectionem à Clerico obtinente à se beneficium, ac ideo rota obligatio, etiam fidelitatis, fuit cassata, ut nullum Archidiaconus inde reportaret commodum, Pirh. loc. cit. ex Abb. in *cit. c. n. 4.*

**Questio 748.** An simoniacum sit, ab eo qui de novo receptus est in Canonicum, pro vel in admissione in possessionem Canonici vel præbende, seu beneficii, vel ad perceptionem distributionum ante, vel post exigere, vel solvi aliquid temporale, etiam modicum, v. g. pecunie aliquid, vel partem fructuum primi anni, prandium vel convivium, & similia pro Canonicis vel Beneficiatis illius Ecclesia?

**1.** Respondeo: Esse id simoniacum, non obstante statuto, vel consuetudine, etiam immemorabili, argumento *c. Jacobus, de simon. Trid. sess. 24. c. 14.* ubi dicuntur istiusmodi ingressus simoniacæ labis suspensionem non habere, & Paris. v. in Bullæ declaratoria hujus decreti, edita Calend. Jun. 1570. Pirh. ad tit. de simon. n. 91. Less. de Just. l. 2. c. 35. nu. 111. (ubi quòd nisi ex antiqua consuetudine hæc solita sint converti in pios usus, censetur simonia, & incurritur pena simoniacorum juxta Trid. & Bullam Pii V.) Garc. de benef. p. 8. c. 1. n. 83. citans Abb. Anan. Felin. in *cit. c. Jacobus*, Rebuff. in concord. tit. reservat. s. fin. Gurtier. qq. Canonic. l. 1. c. 29. à n. 26. Tusch. Concl. 252. lit. s. à n. 12. Rodrig. in sum. to. 2. c. 58. n. 120. Sylv. Vegam. &c. Item recitans declarat. S. Congregat. in una Leodiens. & Extrav. 1. de simon. inter commun. Et post hæc declarationes, & scriptores, eadem Trid. decreta & dispositionem Pii V. severissimè innovat Papa Innoc. XII. in Bulla sua, quæ incipit: *Ecclesie Catholicae*, quam vide, uti & dicta supra, ubi, qualiter non vacet beneficium per ademptionem alterius incomparabilis, nisi post adeptam fructuosam illius possessionem, Quin & simoniam committere eum, qui pro repellenda contradictione pacisceretur cum ceteris Canonicis, & beneficiatis de servando eos indemnes ab omni damno, & interesse ob receptionem de se factam, ait Lort. l. 3. q. 29. nu. 131. sic decisum iniquiens à Rota apud Seraph. decis. 767. n. 4. Et hoc ipsum procedere, ait Lort. *ibid.* nu. 132. respectu etiam omnium annexorum, pro quo citat Lamb. de jurep. l. 1. p. 1. q. 9. n. 2. id pluribus exemplificautem.

**2.** Unde jam, licet Trid. loc. cit. approbet hujusmodi statutum, vel consuetudinem, dum id, quod dari consuevit, convertitur in usus pios, puta, in usus fabricæ Ecclesiæ, sacristiæ, vel pauperum: Quamvis etiam aliàs communis esset opinio, valere hujusmodi consuetudinem in usum pium, quando non præcessit exactio, non tamen